Digitized by Google

Hist 505 10

AD AUDIENDAM

DISPUTATIONEM PUBLICAM

QUAM

PRO ADIPISCENDO IN HAC LITTERARUM UNIVERSITATE
DOCENDI IURE

HABEBIT

D. XV. M. SEPTEMBRIS H. A. HOR. X.

VIR DOCTISSIMUS

BERNARDUS STARKIUS
IENENSIS
PHILOSOPHIAE DOCTOR

HUMANISSIME INVITAT

CAROLUS GOETTLINGIUS
H. T. DECANUS ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Inest: *Explicatio anaglyphi Parisini.*

IENAE
TYPIS HOCHHAUSENII.
MDCCCXLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Anno praeterlapso quum venissem Lutetiam Parisiorum ut prae ceteris monumenta Ninivitana recens illuc advecta admirarer, non neglexi tamen graecae etiam artis opera quotidie perlustrare, quae iam a multis inde annis in Museo Gallico asservantur. In quibus praeter alia opus anaglyphum me allexit ex villa Albana Parisios Roma adlatum quod tam artis nobilitate quam argumenti elegantia multis aliis praestans nunc in oeco Romanorum (salle des Romains) visitur N. 121., graphide delineatum apud *Bouillon* (Musée des antiques T. III. Pl. 6.) et apud *Clarac* (Musée de sculpture antique et moderne T. III. Pl. 133). Hanc igitur imaginem primum accurate, quoad eius fieri poterit, describam postea additurus explicationem argumenti.

Incipiam ab latere eo, quod adspectanti ad laevam est. Conspicitur in columella vasculum, cui imposita est herma nescio cuius numinis, sequuntur in biclinio recumbentes femina et vir iuvenis qui dextram protendit quasi hermam monstraturus aliis qui adveniunt; ante lectulum posita est mensa delphica, in qua cum vasculis quibusdam conspiciuntur poma, in quibus inprimis agnoscuntur uvae; pone mensam scrinium cum voluminibus cui impositae sunt personae histrionum tam comicae quam tragicae. In medio Bacchi barbati venerabilis imago, longa veste sine cinctu fluitante; Bacchum alter Satyrus sublevat, alter discalceat; sequitur postea columna altior, in cuius capitulo tabula quaedam conspicitur, quasi inscriptioni cuidam, nondum finitae, inserviens; ad dextram columnae Satyrus tertius adstat, dextra thyrsum

Digitized by Google

ingentem gerens, in cuius apice praegrandis pinus fructus, laevam vero versus tabulam in columna porrigit, legere quasi aut spectare iubens id quod inscriptum esse videbatur tabulae, porro Silenus saltans cum tibiis, Satyrus quartus cum pelle ferina, facem ut videtur, dextra gerens; agmen claudit femina ebria cum utre (sine dubio Methe) a quinto Satyro sustentata. Aedium fastigia et fenestrae superne eminent.

Bacchi adventum in hac imagine recte agnoverunt omnes; sed virum iuvenem dicunt esse Icarium Atheniensem, quem Bacchus ex India redux salutaverit vinique docuerit sationem pro liberali hospitio quo deum exceperit. Quod qui credunt in femina in lectulo recumbente agnoscere sibi videntur vel Erigonam, Icarii filiam *(Bacchus ou Dionysus Pogon — est prêt à s'asseoir au banquet qu' Icarius et sa fille lui ont préparé: Clarac)* vel eius uxorem Phanotheam. Verum haec omnia valde incerta minimeque probabilia. Primum enim, si Icarium hic conspiceremus, cur uvas in mensa delphica iam praesto apposuisset artifex, quas tanquam hospitii praemia postea demum accepturus erat Icarius? Multo gravius est autem quod non solum scrinium cum voluminibus quale vel statuae Sophoclis Lateranensi vel imagini Aeschinis Neapolitanae additum est, sed etiam personas scenicas adiecit artifex, quae omnia ab Icarii fabula longe sunt aliena. Accedit quod si Icarii mythum proponere voluisset is qui anaglyphum fecit, sine dubio Maeram addidisset, sine qua omnis iste Icarii mythus ne intelligi quidem recte potest. Praeterea nemo vel periculum fecit tabulae illius explicandae quae in columnae capitulo erecta est. Haec igitur argumenta probant non posse Icarium iure dici.

Sed aliud addendum est. In hortis villae Montalto Romanae simile asservatur anaglyphum, in quo tamen deest illud scrinium cum voluminibus sub personis scenicis; in tabula autem columnae imposita conspicitur imago stantis in biga festinante viri, in muro aedium Satyrus sub palma, sertis exornans aedes. *(v. Bellori* Admir. Fig. LXIX.) In tertio exemplo marmoreo, quod item asservatur Romae in Museo Pio-Clementino *(Visconti* T. IV. Pl. XXV) desunt omnino aedes, in ceteris anaglyphis superne conspicuae, deest scrinium cum voluminibus et personis scenicis, deest columna cum tabula; ad dextram vero erecta est herma Priapi, Bacchi filii.

Digitized by Google

In opere anaglypho fictili romano, quod asservatur in museo Campanae viri clarissimi, qui huius anaglyphi gypseum exemplar lenam nobis transmisit, Baccho barbato cum Satyris duobus, deum sustentantibus discalceantibusque, aedes intranti matrona quaedam aegrota in lectuloque recumbens ambo brachia obtendit tanquam auxilium intrantis dei anxie imploratura: ad latus eius puella se applicat, moeroris ut videtur plena; grandior quaedam puella pone Bacchum conspicitur columella innixa itemque summum moerorem prae se ferens.

In omnibus peraeque anaglyphis facile quidem apparet faustus atque salutaris adventus Bacchi, sed diversus ille in singulis anaglyphis. Et in eo quidem, quod ultimo proposuimus loco, *Bacchum medicum* advenire omnes facile intelligunt. Neque id alienum erat a Graecorum Bacchi cultu, quem Aesculapii instar venerabantur, inprimisque Athenienses, delphici oraculi monitum secuti. V. *Athen.* I, p. 22. *τοῦ Πυθικοῦ χρησμοῦ ὃν ἀναγράφει Χαμαιλέων*

εἴκοσι τὰς πρὸ κυνὸς καὶ εἴκοσι τὰς μετέπειτα
οἴκῳ ἔνι σκιερῷ Διονύσῳ χρῆσθαι ἰητρῷ·

καὶ Μνησίθεος δὲ Ἀθηναῖος Διόνυσον ἰατρόν φησι τὴν Πυθίαν χρῆσαι τιμᾶν Ἀθηναίοις. Idem II. p. 36. ex eodem Mnesitheo:

τὸν οἶνον τοὺς θεοὺς
θνητοῖς καταδεῖξαι τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις —
ἰσχύν τε ταῖς ψυχαῖσι καὶ τοῖς σώμασιν,
εἰς τὴν ἰατρικήν τε χρησιμώτατον —
διὸ καὶ καλεῖσθαι τὸν Διόνυσον πανταχοῦ
ἰατρόν. ἡ δὲ Πυθία
εἴρηκέ τισι Διόνυσον ὑγιάτην καλεῖν.

Cf. Eustath. Odyss. p. 1624, 36. *καλῶς ἂν ὁ Διόνυσος καλοῖτο ἰατρός, ἔτι δὲ καὶ ὑγιείας αἴτιος καθότι καὶ ἡ Πυθία εἴρηκέ τισιν Διόνυσον ὑγιάτην καλεῖν.* Eustathium vides sua ex Athenaeo convasavisse atque tali quidem exemplari eius usum esse, quod mendis iisdem scatet quibus codex, quo nos nunc utimur *).

*) Luculentum huius rei exemplum proposui in diario litterario Hermes inscripto a. 1827. Nam apud Athenaeum VI. p. 271. d. legitur *ἔτι Θεόπομπος ἐν δευτέρᾳ τῶν φιλιππικῶν Ἀρκαδίους φησὶ κεκτῆσθαι προσπελατῶν ὥσπερ εἰλώτων τριάκοντα μυριάδας.* Hoc per se mirabile legerat etiam Eustathius p. 1090, 50.

Digitized by Google

Nam sine dubio male habet εἴρηκέ τισιν, scribendum erat enim ἡ δὲ Πυθία τοῖς Ἀττικοῖς | Εἴρηκε τὸν Δ. Inprimis autem huc pertinet, quod Pausanias (X, 33, 5) de Amphiclea urbe seu Ophitea dicit: λέγεται ὑπὸ τῶν Ἀμφικλειέων μάντιν τέ σφισι τὸν θεὸν τοῦτον (Διόνυσον) καὶ βοηθὸν νόσων σφισὶ καθεστηκέναι. τὰ μὲν δὴ νοσήματα αὐτοῖς Ἀμφικλειεῦσι καὶ τοῖς προσοικοῦσιν ἰᾶται δι' ὀνειράτων· πρόμαντις δὲ ὁ ἱερεύς ἐστι· χρᾷ δὲ ἐκ τοῦ θεοῦ κάτοχος. Plane eodem modo Aesculapius Epidauri medebatur aegrotis. V. *Pausan.* II, 27, 2. Apud *Plutarchum* Sympos. III, 1, 3. p. 111. Hutt. ὁ δὲ Διόνυσος οὐ μόνον τῷ τὸν οἶνον εὑρεῖν, ἰσχυρότατον φάρμακον καὶ ἡδιστον, ἰατρὸς ἐνομίσθη μέτριος, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κιττὸν ἀντιτατόμενον μάλιστα τῇ δυνάμει πρὸς τὸν οἶνον εἰς τιμὴν προαγαγεῖν. καὶ στεφανοῦσθαι διδάξαι τοὺς βακχεύοντας ὡς ἧττον ὑπὸ τοῦ οἴνου ἁλιῶντο, τοῦ κιττοῦ κατασβεννύντος τὴν μέθην τῇ ψυχρότητι. Praeterea uterque deus utitur pinus fructu tanquam symbolo salubritatis; Dionysus enim in thyrsi apice gerit eiusque resina mitigat ardorem vini (quo more etiamnunc in Graecia utuntur). *Dioscorides* de mat. med. V, 43. ὁ δὲ ῥητινίτης οἶνος — σκευάζεται — διὰ τὸ ψύχειν εἰ μὴ παραπλακῇ πευκίνῃ — παλαιωθέντες δὲ γίνονται ἡδεῖς). Aesculapius eodem fructu medetur aegrotis atque ut hoc intelligeretur Sicyone eius statua sinistra tenebat conum pinus (στρόβιλον). *Paus.* II, 10, 3. ἔχει δὲ καὶ σκῆπτρον καὶ ἐπὶ τῆς ἑτέρας χειρὸς πίτυος καρπὸν τῆς ἡμέρου.

In anaglypho Pioclementino ad *epulas nuptiales* Bacchus accedit cum comitibus, in exemplari Montaltiano ad *epulas victoriae cuiusdam causa institutas.* Atque victoriam ibi celebrari satis perspicitur ex tabula illa, in qua festinans biga cernitur, victoriae haud dubia significatione. Nec dubitavissem propter palmam adiectam olympicam dicere victoriam biga reportatam, nisi personae tragicae et comicae quae positae sunt ad pedes biclinii me monerent aliam victoriam hic agi, choregicam ut videtur, cui propitius fuisse Bacchus credebatur. Choregi victoriam dixi, non dramatici poetae, quod scrinium in hoc anaglypho deest cum voluminibus quae scribendi artem significant.

Omnium vero horum anaglyphorum elegantissimum est Parisinum, de quo

---

Sed corrigendum esse pro Ἀρκαδίους Ἀρδιαίους ostendit idem Athen. X, p. 443. b. Sunt Ardiaei idem qui aut Bardei dicuntur in glossario H. Stephani aut Vardaei ab Vatinio in Cicer. epist. V, 9. Lapsus est etiam Ruhnkenius ad Tim. p. 213.

Digitized by Google

primo loco dixi. Eo repraesentari epulas victoriae causa institutas a poeta dramatico reportatae non est quod dubites: aperte enim hoc indicatur personis scenicis biclinio appositis una cum capsa et voluminibus. Praeterea in tabula columnae imposita aut inscribendum epigramma erat nomine eius qui reportaverat victoriam aut, quod mihi quidem probabilius esse videtur, olim vividis coloribus, ut in toto anaglypho, imago victoriam significans expressa erat similisque ei quae cernitur in exemplari Montaltiano. His epulis interesse quasi hospitem Bacchum, dramaticae poesis deum auctoremque ipsius victoriae, quis miretur? Praeterea satis verisimile est celebrari victoriam *tragici poetae;* de industria enim videntur adiectae esse quattuor numero personae scenicae, tetralogiam tragicam significantes. Si hoc concedis fortasse etiam concedes Sophoclem hic conspici in diclinio. Nam *Plutarchus* Numa 4. ita: *Σοφοκλεῖ καὶ ᾄδοντι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπιξενωθῆναι λόγος ἐστὶ πολλὰ μέχρι δεῦρο διασώζων τεκμήρια.* *Etymol.* M. v. *Δεξίων· οὕτως ὠνόμασται Σοφοκλῆς ὑπὸ Ἀθηναίων μετὰ τὴν τελευτήν. φασὶν ὅτι Ἀθηναῖοι τελευτήσαντι Σοφοκλεῖ βουλόμενοι τιμὰς αὐτῷ περιποιῆσαι ἡρῷον αὐτῷ κατασκευάσαντες ὠνόμασαν Δεξίωνα ἀπὸ τῆς τοῦ Ἀσκληπιοῦ δεξιώσεως· καὶ γὰρ ὑπεδέξατο τὸν θεὸν ἐν τῇ αὐτοῦ οἰκίᾳ καὶ βωμὸν ἱδρύσατο. ἐκ τῆς αἰτίας οὖν ταύτης Δεξίων ἐκλήθη.* Tertius huius rei testis adiectus est a Schoellio (vit. Soph. p. 379.) Philostratus Iun. icon. 13. Sed Aesculapium, inquit, hospitio accepit Sophocles secundum hanc fabulam, non Bacchum! Audio. Sed si quis meminerit Bacchum medicum Athenienses coluisse, Bacchumque ipsum in prorsus simili anaglypho Romano medicum celebrari non multum sane differet Bacchum Aesculapiumve hic agnoveris, inprimis quum reputaveris poetam dramaticum, si optio ei data fuisset aut Bacchum aut Aesculapium in causa medica praedicandi, sine dubio Bacchum praelaturum fuisse utpote scenicae simul artis moderatorem. Atque huius rei causam satis probabilem in vita Sophoclis mihi videor invenisse. Anno enim quarto Olympiadis LXXVII primam victoriam dramate reportavit Sophocles, annos tum natus viginti octo. (V. *A. Schoell.* Vit. Soph. p. 31). Vicit autem ea ipsa die, qua Thesei ossa Scyro translata sunt Athenas in theatrum Bacchi, Cimone duce. Quodsi igitur meminerimus haec ossa conquisita esse ab Atheniensibus ut morbo liberarentur (sic enim eos iusserat oraculum delphicum v. *Schoell.* l. l. p. 36. 42), nonne probabile est Sophoclem summas gratias habuisse *Baccho Aesculapio,* utpote qui non solum victoriam sibi sed cunctis etiam Atheniensibus eadem die morbi ingravescentis levamen attulisset, eundemque deum ut larem coluisse?

Digitized by Google

Sed veniendum est ad id quod laetam hanc scribendi opportunitatem nobis fecit. Bernardus enim Starkius vir doctissimus in eo est ut nomen Starkium, clarissimorum medicorum in academia nostra feracissimum nunc etiam in philologia publicis lectionibus illuminet. Quod ut rite fieri faustisque auspiciis possit, secundum morem nostrum habebit publicam disputationem d. XV. Septembris, qua commentationem suam *de Tellure dea deque eius imagine a Manuele Phile descripta* defensurus est. Cui disputationi ut benevole adesse velint Prorector academiae magnificus, Professores ac Doctores clarissimi doctissimi, Commilitones humanissimi ea qua par est observantia precamur.

Dab. in univ. litt. Ienensi d. X. Septembr. MDCCCXLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google